

nium malitiose impediretur, posteà tamē generalius loquitur, dicens : Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & iudicio Sancta Synodus relinquit : nam vt supra probavimus, clausula hæc ad utrumque casum refertur : quia si Ordinarij prudentiæ & iudicio remittitur, quod plus est, nempe remittere in totum prædictas denuntiationes sive banna, à fortiori videtur eidē concessum quod minus est, nempe differre prædictas monitiones ad tempus celebratiōis Matrimonij, ante ipsius tamen consummationem. Quo loco attestatur prædictam resolutionem approbatam esse hodie per declaratiōem Reuerendissimorum Cardinalium ad interpretationem dubiorum Sacro Sancti Cōcilij Triden. deputatorum, qui propriis terminis declarauerunt præfati Concilij decretum in hunc modum. Episcopus potest, etiam post contractum Matrimonium, ante illius consummationem, si ita expedire iudicauerit, secundum eius prudentiam & iudicium, ex aliqua causa arbitrio suo, remittere denuntiationes, & si nō sit suspicio quod Matrimonium malitiose impediatur. Ex quo poterit